



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Martyrivm S. Romani, Ex Ecclesiasticæ Historiæ Eusebij Cæsareensis. lib.
8. cap. 12. interprete Ioa[n]ne Christophorsono Anglo. Coronatus est anno
Christi 301. Marcel. Papæ 6. Diocletiani & Maximiani ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

vir sanctitate admirabilis; Pōtificum baculus;
& Regum malleus; quem multis & illustribus
sanè miraculis Dominus sicut prius in vita, sic
& post obitum mirificavit.

Ceterum sacrum corpus eius fuit cum ma- *Locus sepul-*
gna celebritate ad sedem propriam deporta- *tura eius.*
tum, ac summa in AEdē honorificè admodum
terræ mandatū: atque hoc Epitaphio deco-
ratum.

Pontificum baculus, monachorum norma, scholarū Epitaphium
Consultor: Regum malleus Hugo fuit. eius.

Anno verò Christi millesimo ducentesimo
octogesimo, Octobris sexto die, eleuatum at- *Eluatio ac*
que translaturum est: cū iam antè ab Honorio *translatio*
3. Pontifice Maximo in Sanctos relatus esset. In *eius.*
hac autem eleuatione corpus, quasi integrum,
vestes verò incorruptæ planè repertæ sunt, &
loculus magnā purissimi olei exhibuit copiā,
Tandem in theca auro, argento, & pretiosis la-
pidibus ornata reconditum est, ipsaque theca
loco cōgruo satisq; sublimi, è marmore stru-
cto honorificè collocata est, nō lōgè à sanctis-
simo eius capite: quod iuxtā altare beatissimi
Ioannis Baptistæ in Lincolniesi Ecclesia, à cor-
pore separatum, ac auro, argento & gemmis
inclusum reposuerunt.

MARTYRIVM S. ROMANI, EX EC- *Vide Tom.*
clesiasticæ Historiæ Eusebij Casareensis. lib. 8. *2. Annal.*
cap. 12. interprete Ioāne Christophorsono An- *& Notat. ad*
glo. Coronatus est anno Christi 301. Marcel. *Martyrol.*
Papæ 6. Diocletiani & Maximiani Impe- *Rom.*
rat. 19.

Mm 5 ROMA.

18. Nouē.
Patrie eim.

*Redarguit
publicè ido-
lorum cultor-
es.
Damnatur
incendo i-
gni.*

*Lingua ei
amputatur.*

ROMANVS, Palæstinus genere, ecclesie
Cæsareensis Diaconus & exorcista, cum
pariter Antiochiæ in ecclesiarum vastatione fortè versaretur, complures viros simul cum vxoribus & liberis aceruatim ad idolorū delubra properantes, & iisdem hostias immolantes, intuitus, spectaculum neuiquam tolerandum arbitratus est: & propterea singulari pietatis studio incensus, accedit propius, & magna voce exclamans, eos grauius redarguit. Qui propter hoc tam audax facinus præhensus, generosissimus, si quisquam alius, testis declaratur veritatis. Nam cum Iudex mortem illi ignis incendio infligendam pronunciaffet, ille vultu hilari & animo maximè lato, sententiam lubens amplexatus, ad supplicij locū abducitur. Deindè vbi alligatur ad palum, & dum ligna illi circumcirca coaceruabantur, & hi qui incenderent rogam, Imperatoris iam præsentis sententiam expectabant, clamauit: Vbi mihi ignis quælo?

Hæc locutus accersitur ad Imperatorem, quò nouum & inusitatum supplicij genus sustineret, vt lingua nimirum illi amputaretur. Quod fortissimè perpeffus, rebus omnibus declarauit, diuinam vim illis, qui aliquid pro pietate subeant acerbatis, opem semper apportare solere; cum labores & ærumnas allenando, tum animi alacritatem firmiter corroborando. Iste enim simulatque nouum illum supplicij modum intellexit, præ generoso animi alacritate neuiquam obstupefactus, lubens extendit linguam, & paratissimo animo eam licitoribus quasi instructam præbet. Post quod supplicium
in vin-

in vincula coniectus, longinquo temporis spatio ibi afflicatus, tandem cum vigesimus annus regni Imperatoris adveniret (quo ex decreto concessum erat, ut libertas omnibus, qui in vinculis ubique constricti tenebantur, palam predicaretur) solus iste in compedibus iacens, utroque pede ad quintum foramen distracto, laqueo collo circumiecto strangulatus, martyrio demum, sicut ei erat in optatis, decoratur.

Strangulatur.

VITA S. MAXIMI EPISCOPI MOGUNTINI: Ex ea qua est iussu Reverendissimi & Illustrissimi Alberti Archiepiscopi Moguntini à Ioanne Trubemio conscripta. Numeratur eius sedis episcopus nonusdecimus. Obijt vero anno Domini trecentesimo septuagesimo octavo. Pontificatus sui 24.

Vide C. Baro. et Not. ad Marty. Rom. & Annal. Tom. 3.

BEATUS Maximus Moguntiae honestis & Christiana pietate eximijs natus parentibus, optima praestantiq; indole puer literis traditus, tantos in ijs brevissimo temporis spacio fecit progressus, ut nulli sodalium esset secundus. Saeviebat eo tempore cum aliorum haereticorum, tum Arianorum praecipue perfidia: quae inter alios Lucium quoque Ananem Moguntinum antistitem pro fide Catholica apud Phrygiam cum duobus presbyteris Paulo & Crescentio exultantem insidijs circumvenit, ac postremo strenue decertantem strangulavit. Ei viro sanctissimo & magnarum in Christo virtutum insigni Maximus stabili semper charitate adhaerens: eaque propter beatissimus Praesul Moguntia discedens, Maximum pres-

18. Nouẽ. Patria eius.

Eximius profectus eius in studijs.

Strangulatur ab Arianis Lucium Ananem Moguntinum episcopum.